



1674, 4

14

Q. D. B. V.

THESES MEDICÆ

UNIVERSA ARTE
DEPROMPTÆ

Quas

Consensu & Autoritate Amplissimi

Medicorum Collegii in ILLUSTRIS

ACADEMIA JULIA

publicæ disquisitioni subjiciet

JOH. SALOMON *Gattenbach* /

Gothanus

RESPONDENTE

HENRICO CHRISTOPH. ERYTHROPILO

Hannoverano

Ad diem 14. Novembr.

HELMESTADII,

Typis JACOBI MÜLLERI,

ANNO M DC LXXIV.



7/1
D. B. N.
THESES MEDICAE

UNIVERSA ARTE
DE PROMPTA

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLÉ

Consensu
Meditatione

JOH. SALOMON

FRANCISCO

FRANCISCO
FRANCISCO





*C*um omnes Medicinae partes ita sint comparatae, ut nullam earum ignorare debeat, qui cum fructu aliquo artem aliquando exercere velit, placuit mihi nunc, speciminis loco, ex omnibus quaedam notatu digna & usum habentia excerpere, & publicae censurae exponere.

EX PHYSIOLOGIA.

LIB. I.

Physiologiam non injuriâ novam faciem accepisse dixeris, ex quo verum sanguinis in corpore nostro circuitum felicissime primus detexit Gvilhelmus Harveus, solidisque argumentis postea astruxerunt *Viri longe celeberrimi H. Conringius, Johan. Valaeus, Georgius Entius, Marquardus Slegelius, aliique.* Hinc enim demum cordis structuræ verus usus, pulsuum causæ, differentia inter arterias & venas ratio, aliaque infinita innotuerunt, Quamvis autem in omnibus phænomenis explicandis quædam adhuc occurrat difficultas, ab Harveo etiam in quibusdam posteriores

A 2

reces-

recesserint, nec ante memorati Viri in singulis inter se
convenient, tamen hæc apud omnes liquida sunt, san-
guinem per venæ cavæ ramos ad dextrum cordis ven-
triculum fluere & mediante auricula dextra in illum
propelli, hinc per arteriam pulmonalem in pulmones
& ex iis per venam pulmonalem ad sinistram ventricu-
lum, mediante auricula sinistra propelli, exque eo in
arteriam aortam & per ejus ramos in universum cor-
pus; à quibus recipientes venarum rami ad truncum
cavæ & ventriculum dextrum deducunt

-- -- *Sicque redit labor actus in orbem.*

Hæc qui admittere noluerit, illum ex valvularum in
corde & venis structura, ex phænomenis per ligaturam
in vasis factam observatis, aliisque argumentis pro re
nata convincemus.

II. Quamvis post observatos novos lacteos &
lymphaticos ductus quædam in corporis nostri œco-
nomia melius explicari possint, tamen non possum il-
lis consentire, qui per vasa chylifera partibus nutri-
mentum accedere, lac semenque ex chylo, perque lym-
phaticos ductus excretiones varias fieri contendunt.
Nam nec vasa chylifera alibi quam in mesenterio &
thoracis interioribus reperiuntur, nec in lymphaticis
motus humoris est ad partes, sed à partibus, ligatura
monstrante: Ideoque, ut bilem & urinam, ita quoque
lac, semen, salivam, succum pancreaticum, sudorem
&c. non nisi à sanguine separari arbitror: à sanguine
quoque materiam non minus ad pinguedinem, quam
alias corporis partes nutriendas suppeditari.

III. Glandulæ corporis nostri propria sua tunica
cinctæ & peculiari artificio constructæ, non uti veteres
cre-

crediderunt, circumstantes humores corpore suo spongiarum instar imbibunt, multò minus fulciendis vasis destinatae sunt, sed à sanguine ad se delato peculiarem humorem separant, qui itidem per peculiare ductus effluit. Quales quidem in multis jam glandulis Anatomicorum detexit solertia, in pancreate, maxillaribus, palatinis, lacrymalibus &c. In reliquis posterorum nostrorum felicitas inveniet.

IV. Carnes in varios musculos admirando modo compactae, motum corporis nostri faciunt, sed, ut ut id possint, non sanguinis minus à corde, quam alterius alicujus à cerebro influxus requiritur. Spiritum animale vulgò dicunt, quem, quamvis nemo viderit aut tetigerit, & ita spiritus nomen propriè habeat, tamen esse cum, concedere cogimur propter infinita phaenomena tam Physiologis, quam Pathologis quotidie occurrentia. Quidam praecelari Viri assimilare subtilissimo vini spiritui voluerunt, cum restaurari illum à spirituosus ore assumptis animadverterent. Mihi vero propter celerrimam diffusionem, summam mobilitatem, miras expansiones cum aère potius & lumine videtur comparandus. Et forte nemo mortalium illius naturam rectè & plenè penetrabit unquam, ideoque per similitudines quasdam de illo loquimur.

EX PATHOLOGIA.

TH. I.

Propter minus rectè antehac traditam Physiologiam, multa quoque in Pathologia minus rectè supposita & explicata sunt. Nee tamen illa omnia ejusmodi sunt, ut errores quoque in medendo pariant.

A 3

cum

cum multarum in Pathologia causarum inquisitio me-
re sit Philosophica, & ad rectè medendum nihil con-
ferat.

II. Quando primò ad ægrum accedit Medicus,
plurima symptomata ille refert, causas etiam procatar-
cticas seu occasiones morbi, recenset, ex quibus dein-
de, tanquam signis diagnosticis, morbi naturam depre-
hendit, ejusque causas indagat, illisque positis omni-
um symptomatum probabiles reddit.

III. Morem imprimis morbi cognitum habere
debemus. Jam tum à Græcorum temporibus usque u-
su obtinet, ut, translato ex Ethicis vocabulo, cum alii
morbi, tum imprimis ulcera & febres, vocentur *εὐήθεις*,
boni moris, benigni, aut *κακῆθεις*, *mali moris, maligni*.
Nec tamen omnes satis determinant, in quo consistat
illud malignum, quidam etiam nimis latè vocem illam
accipiunt. In eo tamen videntur consentire, malignum
morbum dicendum esse, quando graviora sunt sym-
ptomata, & citius & vehementius invadunt, quam
morbi natura & qualitas admittit. Non igitur omnes
febres vehementiores, ut tertianæ continuæ, quamvis,
ubi in *ἀκμῆ* sunt, gravia habeant symptomata, malignæ
dicendæ sunt, ubi illa ex natura morbi deduci pos-
sunt.

IV. Præter Plethoram & Cacochymiam, dili-
genter quoque attendendum est ad sanguinis in motu
vitia, quæ communiter à Pathologis non proponun-
tur. Nam vel justo celerior ille est, vel inordinatus,
vel tardior, imò stagnare aliquando sanguis & quiesce-
re incipit, magno vitæ nostræ periculo. Quamvis enim
ut plurimum à Plethora aut Cacochymia illa sanguinis
in

in motu vitia oriuntur, tamen seorsim considerari me-
rentur. Imò quis nescit, oriri per vehementiores ani-
mi affectus in sanguinis motu vitia, etiam in maxime
sanis, ubi nec Plethora aliqua nec Cacochymia ad-
est?

V. Inter causas procatarticas morborum rectè
referuntur Auxilia Medica vel nimis multa vel intem-
pestive adhibita. Quotidiana enim experientia do-
cet post venæsectionem, post purgationem, post aci-
dularum usum, post sudorifera sæpe statim oriri mor-
bos, commotis nimirum latentibus humoribus. Vi-
demusque etiam illos, qui tempore pestis, aut conta-
giosis aliis grassantibus morbis, ad contagium evitan-
dum V.S. & purgationem instituunt, sæpe citius infici,
commoto nimirum sanguine, & proinde ad contagi-
um suscipiendum aptiore reddito. De quo ultimo e-
gregie clarissimus Præceptor noster V. H. Voglerus in
Discursu de Vi Imaginationis in pestilent. produc.

VI. Qui in fluxionibus ad partes capiti aditas
cerebrum semper accusant, & illi medicamenta adhi-
bent, minus rectè agere videntur. Uti enim ophthal-
miæ aliique oculorum affectus, cerebro rectissimè se
habente, sanguinis per sua vasa ad oculos delati vitio
oriuntur, ita etiam de catharrhis sese res habet, & citra
ullam cerebri labem sanguineæ massæ mala constitu-
tione oriri, omnia phænomena manifestò docent. In
quam rem multa præclare disputavit in vastis suis libris
de Catharris. Cl. Sneiderus.

VII. Dyspnœæ & Asthmata varias habent cau-
sas. Nam & abdominis, thoracem comprimentis, vi-
tio fieri possunt, & à materia in bronchiis & vasis san-
guineis

gvineis contenta, & denique, quamvis rarius, propter
sanguinis & spirituum in musculos pectus moventes
indebitum fluxum.

IX. Quando urina in renibus à sanguine sepa-
rata per ureteres, vesicam & urethram excerni nequit,
tum proprie suppressa dicitur: improprie verò quando
in renibus non separatur. Quod posterius rarius qui-
dem contingit, aliquando tamen.

IX. Si verum est, ceu multis experimentis cele-
berrimi Anatomici, *Hornius*, *Steno*, *Kerckringius*,
Svammerdammius, *Gravius*, aliique, non improbabile
reddiderunt, quod mulierum testiculi ovaria quædam
sunt, & illa ova spiritu virilis feminis foecundata ad u-
terum descendunt exque iis foetus fit, quid de Medi-
corum hætenus tradita circa causas sterilitatis doctri-
na fuerit sentiendum? quid de illorum remediis ad e-
mendandam in sequiori sexu sterilitatem propositis?
Sine dubio pleraque in tota illa de sterilitate doctrina
à Medicis supposita potius sunt, quam probata. Even-
tus quoque docuit, rarissime & quasi casu tantum à foe-
minis sterilitatem per medicamenta fuisse sublatam.
Quoniam tamen medicamenta illa pleraque talia sunt,
quæ uterum purgant & distemperatum corrigunt, si
quando auxilium attulerunt, videntur nihil aliud egisse,
quam partim feminis spiritui ad ovarium viam red-
didisse patentiorem, partim uterum ad conceptum
melius fovendum præparasse. Et ita, admissis licet
novis observationibus, videntur tamen Medici rece-
pta medendi rationi insistere posse, donec in obscura
illa & admirabili magis, quem explicabili de conceptio-
ne doctrina nova aliquando lux oriatur.

Ex

EX SEMEIOTICA.

TH. I.

Quamvis aliquando morbi citra affectæ partis cognitionem medicamentis internis per experientiam cognitis possint curari, quod in Empiricorum praxi quotidie apparet: tamen minus hoc tutum esse, facile cuilibet perspicere licet. Topica verò citra certam partis affectæ cognitionem adhiberi non debent. Certam inquam; si enim dubii simus, & tamen applicemus, & hîc & illic erramus, dum & parti laboranti non succurrimus & non laboranti non necessarium negotium facessimus, imò eam lædimus.

II. Postquam sanguinis motus verus ex corde per arterias & ad cor per venas detectus est, de Topicis remediis nonnulli novam doctrinam proponere cœperunt. Vim scilicet Topici medicamenti non pervenire mox ad partem, cui apponitur, sed recipi primò in venas capillares, inde in majores, & tandem ad cor, ex corde autem demùm ad partes deduci. Ubi sane aliquid supponere contra sensuum fidem videntur. Quamvis enim verissimum sit, frigida uni particulæ corporis, e. g. testibus (quod in hæmorrhagiis maximis fieri solet) apposita, mediante sanguine totum corpus afficere, tamen experientia constat eorum, quæ externe apponuntur, licet vis aliqua intra vasa recepta sanguinis cursum sequatur, plurimos tamen vires recta linea intro pergere. Uti in fomentis, cataplasmatibus, emplastris, unguentis ventriculo, utero, vesicæ apposis manifestò videmus, quæ quidem frustra alibi ad illas partes juvandas apponerentur. Et sic quoque cum actu calidis partibus alicui apposis se res habet.

B

III. De-

III. Debemus igitur ex Anatome, sanorum hominum imprimis nobis diligenter acquirere notitiam situs partium, ex dissectione verò corporum morbo extinctorum, quæ pars affecta fuerit, discere, unde in similibus lux oriatur. Non videtur autem sufficere, ut in ægris corporibus disiectis viscerum labes miremur, sed sanguinem quoque & humores diligenter consideremus, illorumque à statu naturali recessum.

IV. Ab excretis etiam licet colligere quodammodo partem affectam. Est autem in illis non tantum proprietates essentiaè consideranda, sed & modus excernendi, magnitudo excreti, quantitas, modus mixtionis, tempus excretionis &c.

V. Sanguis Vena secta eductus diligenter quoque Medico considerandus est. Quamvis enim Balnearum & Tonforum circa hanc rem pronuntiata ridicula sæpe sint, & ipsis ægris talia videantur, tamen Medicus longo usu, & frequenti sanguinis ex variis, quæ aëgris, quæ sanis educti inspectione multa discere egregia potest, quæ ipsum in sanguinis & humorum latentium naturam deducant, curationemque faciliorent & prædictiones certiores reddant.

VI. Pulsuum doctrina paullo rectius explicari nunc potest, cognito per *Harvejum* cordis, arteriarum & sanguinis vero motu. Quamvis autem multa circa pulsuum differentias ratione concipere possimus, tamen in *Σημειωτικῆ* tales fictiones locum non habent, debentque nulli pulsus considerari, nisi qui sensu manifestò deprehendi possunt. Quo ipso multa à Galeno tradita concident, breviorque & accuratior pulsuum doctrina fiet.

VII. In acutis morbis certiores sunt prædictiones, quam

quàm in chronicis. Et quamvis in his quoque aliquando præstantissimi & exercitatissimi Medici labantur, ut desperatus & ab ipsis relictus æger convalescat, unde Gallorum proverbium, tutius esse judicari à Medico, quàm à Prætore: tamen hæc prædictionum certitudini non obstant. Quæ enim ut plurimum fiunt, considerant Medici, & sicut contingere potest, ut per accidens nova aliqua in corpore humorum commotio, undecunque etiam orta, fiat, & ægrum in mortem præcipitet: ita similiter ex accidenti causa morbifica dissipari, evacuari, nativus calor insurgere & æger semi-mortuus in vitam redire potest. Ex quibus tamen id disci potest, non nimis temere de vita graviter decumbentium esse pronuntiandum, multò minus hujusmodi ægros, apparentibus quibusdam periculosis signis, deferendos.

EX DIÆTETICA.

TH. I.

R Eætè vulgò distinguunt inter diætam sanorum & ægrorum. Sed & præterea curiosiores alii *CLL. Viri, Sennertus, Hoffmannus, Voglerus*, ratione ætatis, imò sexus quoque, variandam docent. Cumque nec omnes ejusdem ætatis & sexus eadem sint corporis constitutione, quamvis sanorum nomine veniant, nec in iisdem regionibus vivant, nec eodem modo exercentur, patet, variandam esse iterum diætam. Sed hujusmodi in genere tradi vix possunt. Quando autem Medicus certum aliquem locum, in quo Medicinam facere velit, sibi eligit, ibique in omnia, quæ ad aërem, aquas, & vivendi modum pertinent, accuratè inquisivit,

B 2

certius

Tertius etiam aliquid de diætâ, istius loci incolis competente, pronunciare potest. Et quando Medicus quibusdam familiis ordinariò Medicinam facit, & per aliquot annorum consuetudinem illorum vivendi rationem non minùs, quàm corporis constitutionem rectius perspectam habet, melius quoque ipsis præscribere, his inter se collatis, diætâ potest. Quod enim consuetudinis quoque in his aliqua sit habenda ratio, notissimum est.

II. In acutis morbis rectissimè veteres maximam habuerunt diætæ rationem, & nos quoque habere debemus, cum febres pleniore & calidiore victu incenduntur. Si aliquando in his locis in acutis morbis ægri nimis cibis se saburrantes & calidiori quoque potui indulgentes evadunt tamen, non id patrocinari errori debet; quamvis facile concedam, minus hîc posse peccari, & in locis calidioribus, ubi veteres vixerunt, longe majus à mala in acutis diætâ esse periculum. Quòd non in continuis tantum febribus, sed etiam vulneribus capitis gravioribus manifestum est.

EX THERAPEVTICA.

TH. I.

Methodus medendi alia est curativa, alia præservativa. Curativa est certa quædam ratio & ordo inveniendi per intentiones & indicationes idonea auxilia, ut curatio recte instituat. Considerandum igitur, quid sit agendum, quibus remediis, quantum, quomodo, quo tempore, quo ordine. *Vid. Nobilissimi Dn. D. Tappii, Amplissimi Collegii Medici Senioris Method. medend. c. 1.*

II. Sym-

II. Symptomata per se nihil indicat, nec medicamentum ad id dirigitur, sed ad morbum, quo sublato, & ipsum tollitur. Aliquando tamen per accidens indicat & postulat medicamentum, quatenus habet rationem causæ, quæ morbum auget & nova symptomata producit, uti vehemens dolor, vigiliæ,

III. Recte Hippocrates scripsit l. 1. Aph. 17. de virtus ratione ægris administranda: *Concedendum aliquid consuetudini.* Recte itidem de obeundis laboribus sect. 2. Aph. 49. *melius ferri ab iis, qui asveti sunt.* & Aph. seq. *Consuetudo longo tempore, etsi deteriora, insuetis minus esse molesta.* Ideoque in medendo, si consuetudo contraindicet, etiamsi reliqua indicantia consentiant, huic præ reliquis multum est deferendum.

IV. Venæ sectionis, Purgationis, Fonticulorum usum cum veteribus & recentioribus plurimis contra Helmontianos defendam.

EX CHIRURGIA.

TH. I.

Venæ secantur tutius, quàm per hîrudinum morsus aperiuntur. Ideoque non debent illæ adhiberi, nisi in iis locis, ubi cum scalpello apertio commode non potest fieri, in fedis & uteri, in narium & oculi angulorum venis.

II. Ut vena secanda promineat magis, sanguinis per eam refluxum ad cor impedire debent Chirurghi, injecta ligatura inter cor & locum secandum. Ideoque in jugularibus & raninis secandis collo, in manus & brachii venis supra illas: In pedis & malleolorum itidem supra illas, interque cor & illas, instituitur ligatura.

III. In fractis & luxatis ossibus componendis debet primo omnium fieri extensio, dein repositio, ut vel capitulum in suum sinum, vel fractæ ossis partes in suas sedes redeant. Non debemus autem sonitum pro signo bene repositi luxati ossis habere, quin potius ille sonitus cum vehementia repositi ossis signum est, per quam supercilium ossis facile læditur.

IV. In vulneribus recentibus digestiva unguenta malè adhibentur, & sæpè rectius rustici sua vulnera curant, prohibendo mox aëris accessum & consolidantibus appositis, quàm Chirurghi majori apparatu.

V. In vulneribus sine deperditione carnis statim labiorum adductio per suturas est facienda.

VI. Sanguinis ex vulnere profluvium inflammationes & convulsiones sæpè præcavet, ideoque nonnulli Chirurghi, ubi sanguinem non fluxisse sufficienter arbitrantur, labia vulneris fricando hæmorrhagiam aliquam excitant.

VII. Ustiones si admitterent nostri ægri, non gestarent ulcera per plures annos in pedibus, alibique. Uti enim in Italia gravissima & maligna ex lue venerea ulcera ferro candente sæpius impresso feliciter curantur, quantò magis id sperandum esset de nostris ulceribus scorbuticis, quæ longe minus habent malignitatis. Per medicamenta autem ulcera, vicinis partibus nimium distemperatis, tam cito curari nequeunt: dum contra ignis adhibitus non tantum putrida tollit, sed & distemperata calefaciendo & siccando corrigit.

EX

EX PHARMACEVTICA VULGARL

TH. I.

Decoctis & Infusis tam purgantibus, quam non purgantibus rectè additur aliquid Tartari, vel salis Tartari ad promovendam extractionem. Quod & in decoctis lignorum satis convenienter fit. Nonnulli etiam lignum Gvajacum acido aliquo spiritu, salis aut vitrioli conspergunt prius & infundunt, quam coquant, nec id malè, nam & ita extractio promovetur.

II. In decoctis, infusis, extractis parandis diligenter attendendum est, ut talia simplicia sumantur, quæ virtutes suas liquoribus superfusis communicent. Corallia, margaritas, gemmas, conchylia, frustra in aqueis liquoribus, non acidis, coquas. De Metallis quibusdam aliter se res habet. Nam Venus tincturam suam facillime dat, & Mercurius quoque, infusus tantum, amaroris sui aliquid communicat. Ne de Antimonii præparati infusione, ceu re notissima, nunc dicam.

III. Qui in formulis suis tam multa simplicia conjungunt, nec simplicia tantum, sed & composita, Pharmacopæo molestiam, ægro nausam, nulli commodum creant; revera autem sibi Praxin incertam reddunt, ut, etiamsi per plures annos Medicinam exercuerint, tamen nullius medicamenti certam habeant experientiam.

EX CHEMICA.

TH. I.

Cum præparationes medicamentorum imprimis eo nomine fiant, ut meliora, potentiora & ad usum aptiora

ptiora reddantur, deberent Chemici prius considerare simplicia, an etiam præparationes per ignem ferre possint, & non potius deteriora fiant, quàm meliora. Quod si per ignem etiam natura immutetur simplicis, non ad illos usus, ad quos simplex, productum novum adhiberi debet, sed experientia duce inquirendum prius, quæ ejus vires sint.

II. Quæ pro salibus venditantur metallorum, lapidum pretiosorum, margaritarum, corallorum, non sunt, nisi ipsa illa corpora cum menstuis in salis formam concreta.

III. Metalla enim cum salibus combinata ita in illorum corpore posse latere, ut etiam in aquis se patiantur dissolvi, Mercurius sublimatus clarè docet.

IV. Reductio Metallum ex illis salibus, quid sint, ostendit.

Corollarii loco Hippocratis Aphorismorum section. I II. defendam.

F I N I S.



ULB Halle
002 100 223


3




WDA

TA-DOL







B.I.G.

Farbkarte #13

1674, 4

14

D. B. V.

MEDICÆ

IN
CURSA ARTE
COMPTÆ

Quas
auctoritate Amplissimi
Senatus Regii in ILLUSTRIS
ACADEMIA JULIA

inquisitioni subjecit
GOTTFRIDUS HATTENBACH

Joathanus
CONDENTE
STOPH. ERYTHROPILO
Hannoverano

die 14. Novembr.

MESTADII,
JOHANNI MÜLLERI,
MDC LXXIV.